

Jeroni Pau

De fluminibus et montibus hispaniarum libellus

Mariàngela Vilallonga (ed.), *Jeroni Pau: obres*, vol. 1, Barcelona, Curial, 1986.

[1] Ad Reuerendissimum Dominum Rodericum Episcopum Portuensem Cardinalem Valentinum Sanctae Romanae Ecclesiae Vicecancellarium.

[2] Scripseram, Pater amplissime, quorundam poetarum hortatu libellum hunc de Hispaniae nostrae fluuiis et montibus, quorum apud ueteres mentio habetur. Eum celsitudini tuae dicatum non prius ausus sum manifestum praebere, quam tibi quem nemo ignorat et ingenio et rerum experientia nemini tui ordinis cedere, emendandum tribuissem. [3] Accedit locorum regionumque notitia, quorum te nuper amplissima prouinciae nostrae legatio peritissimum reddidit. Magnam enim Hispaniae partem feliciter peragrando, immensa tuae dignationis et gloriae monumenta nostrae Hesperiae reliquisti. ¶] Spero dabuntur tuo nomini aliquando maiora. Nunc autem aliquid ad Cosmographiam et suscitationem antiquitatis pertinens, per uacationem a studio iuris collectum, haud iniocunde degustasse sufficiat.

[5] *Alba*. Alba, qui et *Clodianus* appellatur, per Indicetas, quos *Emporitanos* uocant, decurrit, Emporias Phocentium et Latinorum olim coloniam alluens. A Pyrenaeis funditur et uersus Mydas Insulas, in quibus Palaepolis oppidum quondam fuit, in Balearicum mare deuoluitur.

[6] *Anas*. Anas fluuius est non mediocris in Hispania, et Lusitaniam a Baethyca, teste Pomponio, separat. Ortus in Leminitano agro Tarraconensis Iberiae modo in stagna se pandit, modo in angustias resorbet et alicubi in cuniculis totum se condens iuxta Emeritam et Pacemiliam lapsus, tandem in Atlanticum emittitur oceanum. Aurelius Clemens:

«Nunc locus Emerita est tumulo
Clara colonia Vetoniae,
Quam memorabilis amnis Anas
Praeterit, et uiridante rapax
Gurgite, moenia pulchra lauat.»

[7] *Areda*. Areda fluuius est apud Celtiberos, a quo, ut tradit Plynus, Arenates populi nominati fuere.

[8] *Astura*. Astura fluuius est in Tarraconensi, a quo Astures, acre hominum genus, nomen acceperunt. Lucanus:

«Hic praeter Latias acies erat impiger Astur.»

Aurum etiam apud eos effoditur, quod praeclare describitur a Syllio his uersibus:

«Sed scelerum causas aperit deus: Astur auarus
Visceribus lacerae telluris mergitur imis.
Et redit infelix effosso concolor auro.»

Hunc annem uulgo *Auigam* nominat.

[9] *Auoceladus*. Auoceladus fluuius est Celticorum, qui Gallaetiam ac Lusitaniam contingunt.

[10] *Bacchus*. Bacchus fluuius esse fertur in Baethyca.

[11] *Belo*. Belo fluuius est et oppidum in oris Baethycae.

[12] *Besola*. Besola in eisdem oris fluit.

[13] *Baethys*. Baethys fluuius qui Baethycae nomen dedit, quae postea *Vandalusia* a Vandalis creditur nuncupata, dextra laeuaque oliuiferis accolitur oppidis. Ipse ex Tarraconensi regione demissus per mediam fere Hispaniam Baethycam sicut nascitur, uno decurrit alueo, post autem mari propinquus, lacum ex se ingentem facit. Cordubam Pyridum alumnam atque Hispalim, celeberrimas urbes alluit. Amoenissimis admodum excultissimisque praeclarus est insulis, nulla

etiam affluentissima eloquentiae facundia mediocriter collaudandus. In cuius agris omnes soli caelique natura uoluptates deliciasque habunde praebet. Vnde poetarum quidam Elysios campos in his oris esse finxerunt. [14] Hunc amnem, *Iarëssum* olim dictum, auctore Liuio, *Chiuim* Hispani appellant, Graeci *Baethym*, a uocabulo, quod *profundum* sonat. Magnarum enim nauium ferax est, quibus uaria mercium genera exportare liceat. Meminit Statius in Genethliaco Lucani Pollam:

«Graio nobilior Melethe Baethys:
Baethim, Mantua, prouocare noli.»

Et Marcialis:

«Baethys oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis uellera tinguis aquis,
Quem Bromyus, quem Pallas amat.»

Vino enim abundat regio atque huius fluminis aqua immersa saepius et madefacta uellera colorem recipiunt aureum.

[15] *Bilbilim*. Bilbilim ferri temperamento aptissimum tradit Trogus in Hispania esse, quem reor *Salonem* appellare. Inde eo nomine ascito, quod Bilbilim urbem alluat.

[16] *Baetulus*. Baetulus fluuius est in Leletanis. Ni imbribus intumeat, exiguus est et uadosus, praebet tamen suburbanis agris celebris et pulcherrimae urbis nostrae utiles irrigationes, cuius etiam molinae hoc ane ciuntur, et exhausti riuli in usus officinarum transeunt. Ab orientali latere Barcinone Balearicum ingreditur pelagus.

[17] *Cinga*. Cinga fluuius est uagus admodum et rapax. Fragam urbem alluit. Postremo Ibero mixtus, eum tantum auget, ut inde nomen *maximi in Hispania fluminis* accipiat. Lucanus:

«Cinga rapax, uetitus fluctus et litora cursu
Oceani pepulisse suo; nam gurgite mixto,
Qui praestat terris aufert tibi nomen Iberis.»

[18] *Chalibs*. Chalibem Hispaniae fluuium esse et iuxta Arandim oppidum fluere prisci auctores tradunt.

[19] *Clerus*. Clerum Hispaniae flumen esse legi, nec qua fluat regione traditum est.

[20] *Durius*. Durius Vltioris Hispaniae celebratum est flumen harenis aureis. In Tarraconensi oritur et in Celtiberos lapsum, Numantiam urbem alluit, tandem Sisamonem oppidum lambens et in Lusitanos ueniens, in Atlanticum procurrit oceanum. Syllius:

«Hic certant Pactole tibi Duriusque Tagusque.»

[21] *Diua*. Diua Cantabros perfluit.

[22] *Esititius*. Esititius Hispaniae fluuius esse legitur, qui, cum dulcis esset, amarus postea factus esse fertur, quod ex Graecorum fabulis ortum puto.

[23] *Eumenius*. Eumenius fluuius est Gallaetiae quadrimius, nam et *Lethes*, id est, *obliuionis* appellatur, et *Bellion*, et *Limia*. Fabulis est admodum famigeratus, ut qui uulgo ab inferis oriri existimetur. Aurum etiam, ut pleraque Hispaniarum flumina, harenis conmixtum deducit e montibus. Syllius I Punicorum:

«Quique super Gronios lucentis uoluit harenas
Inferna populis referens obliuia Lethes.»

Lethem autem Strabo inde appellatum tradit, quod, cum Galli atque Turduli sociis ad id flumen armis peruenissent, eo traiecto, seditione orta dissidentes eorumque duce extincto, obliti quod in Hispanos mouerant belli iuxta flumen resedere.

[24] *Florius*. Florius Astures irrigat.

[25] *Iberus*. Iberum nemo sine pudore ignorat Hispaniae fluuium esse, quippe qui toti Iberiae nomen dederit. Hiberia autem Asiae regio ab *Iobele*, ut Iosephus tradit, appellata est. Dionysius porro Alexandrinus auctor est eos, qui Asiam incolunt, Iberes ex Hispania profectos esse. Contra

sentit, auctore Agrippa, Plynus, quod est uero similius, si priscae hominum origines repetantur. [26] Oritur Iberus agro Iuliobricensi in Cantabria; tenuissimus primo, mox magnorum amnium capax Calagurritanoque exceptus agro, Tutelam petit oppidum et Celsam urbem ponte olim celebrem. Inde Saldiuam, quae nunc est Caesaraugusta, affluit, opimam admodum urbem et patentibus undique campis irriguis laetissimam. Illinc cum Gallaeco digressus in Austrum labitur nauium ferax. Auctus deinde Cinga Sicorique amnibus, Dertosam opulentam urbem alluit. Postremo maritimarum iam nauium patiens uersus Alphacios Ibericum dulcorat pelagus. Meminit Lucanus in quarto:

«Stagnantem Sicorim, et rapidum deprensus Iberum.»

Commertiis post Baethym primus est, sed aquarum copia, non ingruentibus in Baethym oceani aestuariis, maior.

[27] *Ilerda*. Ilerda Ilergetarum fluuius a quo *Ilerda*, urbs uetustissima, appellata esse legitur. Vulgus *Noceiam* appellat. Syllius huius urbis meminit illo carmine:

«Et quae Dardanos post uidit Ilerda furores.»

Id est, Romana bella, nam Petreius et Afrannius, Pompeianarum partium duces auspiciis Caesaris, ibi expugnati fuere. Meminit et urbis Oratius, ad quam tempore belli ciuilibus frequentes epistolae mittebantur:

«Aut fugies (inquit) Vticam aut uinctus, / mitteris Ilerdam.»

Nonnulli eundem esse hunc et Sicorim arbitrantur.

[28] *Lacros*. Lacros per Celticos fluit.

[29] *Limia*. Limia per Gallaecos.

[30] *Lymius*. Lymius ad Deorum insulas.

[31] *Meacus*. Meacus per Gallaecos penetrat.

[32] *Menuba*. Menuba Tyrdetanorum fluuius est Baethy se commiscens.

[33] *Menasus*.

Melsus. Menascus et Melsus per Cantabros fluunt.

[34] *Minius*. Minius fluuius est Gallaeciae maximo ore spatiosus, qui, ut Isidoro Carthaginensi placet, a minii colore, quem frequens trahit, nomen creditur accepisse.

[35] *Munda*. Munda fluuius est in Lusitanis notissimus et oppidum eiusdem nominis in Baethyca, ubi Pompei liberi debellati fuere. Syllius de urbe:

«Et Munda Aemathios iterum paritura labores.»

[36] *Mulidas*. Mulidas fluuius est Carpetaniae exiguis nauigabilis scaphis.

[37] *Naumasa*. Naumasa, auctore Pomponio, per Cantabros fluit.

[38] *Nerua*. Nerua Negauices per eosdem.

[39] *Narius*. Narius, Nelo per eosdem Astures.

[40] *Nauia*. Nauia Cantabrorum fluuius est. Vnde ferunt Nauarrigenas nuncupatos, qui et nunc *Nauari* dicuntur. Nonnulli a Niuaria oppido nominatos existimant.

[41] *Nauillus*. Nauillus in Gallaecis est.

[42] *Negauicus*. Negauicus in Cantabris.

[43] *Osigitanus*. Osigitanus fluuius in Baethym mergitur.

[44] *Pallantia*. Pallantia per Edetanos funditur.

[45] *Rubricatum*. Rubricatum fluuius est a colore eo nomine appellatum. A Pyrenaeis demittitur et per Bargutos in Lacetanos lapsus Issensium circuit agros. Inde ad Leletanos nostros ueniens

Serresum iuxta montem labitur. Auctus deinde Nocia flumine Rubricatam oppidum petit. Vnde digressus, ad IIII milia passuum in Barcinonis littore occiduo ingreditur pelagus.

[46] *Salia*. Salia in Cantabris labitur.

[47] *Salsus*. Salsus Tyrdetanorum, id est Baethycolarum fluuius est, aquarum amaritudine infamis, Geennensium praeterfluit agrum. Meminit Caesar in Commentariis.

[48] *Salo*. Salo Celtiberiae fluuius est, ortus Arocelitano agro, armentorum pecudumque potui perquam utilis, ferrique temperamento aptissimus est. Mauros petit oppidum et Ferrisiam, Silaos et ipsam Bilbilim in cliuo positam, exin Epilam petens in agro Caesaraugustano Ibero demum coniungitur. Marcialis:

«Quibus remissum corpus stringes brevi
Salone, qui ferrum gelat.»

[49] *Sanga*. Sanga Cantabrorum est flumen.

[50] *Saducas*. Saducas in ora exit Baethycae.

[51] *Sars*. Sars per Lusitanos fluit, et emittitur iuxta tures Augusti.

[52] *Sambroca*. Sambroca, uulgus *Samucam* uocat, per agrum Emporitanum decurrit, Sacramque uillam et Nouemporium.

[53] *Sicoris*. Sicoris Ilergetarum fluuius est a Surdaonibus et Cerretanis inter Pyrenaeos oritur, accoliturque amoenis oppidis, Ilerdamque urbem iam magnus alluit. Inde Octigenam petit, et apud Michinesiam Ibero se iungit. Harenis aureis non est Tago inferior. Meminit Lucanus in descriptione Ilerdae urbis his carminibus:

«Colle tumet modico leuique excrescit in altum
Pingue solum tumulo, super hunc fundata uetusta
Surgit Ilerda manu. Placidis praelabatur undis,
Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes.
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu
Hibernas passurus aquas.»

[54] Huius quondam fluminis accolae in Trinacriam nauigantes a patrio amne Sicori, unde discesserant, *Sicaniam* appellauere. Quod ostendit Syllius his carminibus:

«Post dirum Antiphatae sceptrum et Cyclopea regna
Vomere uerterunt primum noua rura Sicani.
Pyrene misit populos, qui nomen ab amne
Asciti patrio, terrae imposuere uacanti.»

Sunt qui scribant eos primum Latium tenuisse longe ante Aborigines, et inde a Lyguribus pulsos in Siciliam transfretasse.

[55] *Singilis*. Singilis fluuius est nauigabilis: Hastigin urbem alluit in Baethyca.

[56] *Silensis*. Silensis fluuius est in agro Segouiense.

[57] *Sorabis*. Sorabis Ilercahonum fluuius est in agro Dertosano, quem ab oppido, per quod fluit, uulgus Seniam nuncupat. Nec desunt qui existiment hoc flumen hodie *Milasiam* appellari.

[58] *Subi*. Subi fluuius est tenuis Suesetaniae regionis. Vulgus *Francolinum* appellat. Spelunca oppido surgit, et Tarraconensium delitiosis agris infusus ibidem mari excipitur. Huius aqua irrigata lina carbasa reddunt usui nauium aptissima.

[59] *Sucro*. Sucro fluuius est non exiguus in Citeriori, Orosipedanis ortus montibus, Sertorii et Pompei proelio insignis. Sethabitanum praeterfluit agrum. Inde Algeziram ambit, oppidum ita Arabico nomine appellatum, quod in insulam positum sit. Postremo non longe a Colleria Ebusitano conditur aequore. Nauium patiens est, si eius aluei saepe retantur, et, qua se excessu imbrium sparserit, cogatur in aptas angustias compactis utraque ripa trabibus. [60] Huius fluminis meminit

Syllius illo carmine:

«Sedetana cohors, quam Sucro rigentibus undis
Atque altrix celsa mittebat Setabis urbe.»

Et Salustius in libris *Historiarum*: «Castra hostium apud Sucronem capta, et proelium apud flumen Turiam. Et dux hostium C. Herennius cum exercitu, et urbe Valentiae deleti.»

[61] *Tader*. Tader fluuius uersus nouam Carthaginem funditur. Oritur montibus, quibus Baethys, et Murtiam Aureolamque contingens, Ebusitano pelago seu Iberico conditur. Hunc uulgu *Securam* appellat.

[62] *Tamara*. Tamara fluuius est Gallaeciae clarus.

[63] *Tagus*. Tagus fluuius est Grais nostrisque carminibus celebratus, aureis granulis insignis, piscium ostrearumque feracissimus. Ex Castulonensi erumpens agro et in Carpetanos lapsus Tolletum, praepotentem ualidamque urbem, paene circuit. Tandem Lusitanos contingens, ad Vlyxbonam ingreditur oceanum. Catullus:

«Tertia Iberia, quam scit amnis aurifer Tagus.»

Papinius:

«Hinc Hermum, fuluoque Tagum decurrere limo.»

Meminit et Iuuenalis:

«Omnis harena Tagi, quodque in mare uoluitur / aurum.»

Et Ouidius:

«Cedat et auriferi ripa beata Tagi.»

[64] *Ticis*. Ticis, qui et *Ticæ* a Plinio appellatur, inter Ausetanos fluit, a conuallibus Pyrenaei delapsus per confragosa primum loca et salebras in plana decurrens, Gerundam ualidam urbem petit, ubi Vndarium amnem absorbens, inde iam grandior factus, Indicetum apricos agros circuit et uersus Grineum montem inmiscetur mari.

[65] *Turia*. Turia Sedetanorum et Contestanorum fluuius est, eorum amoenissimos irrigans campos, Turiolum sui nominis oppidum linquens, Valentiae urbi delitiarum et nobilitatis altrici proximus labitur. Inde ob crebram riuiulorum deductionem tenuissimus in mare deuoluitur. [66] Salustius II *Historiarum* libro in haec uerba meminit: «Inter laeua moenium et dextrum flumen Turiam, quod Valentiam paruo interuallo praeterfluit. Ab Aphris postea, qui eam urbem ad CCC paene annos tenuerunt, barbarum huic fluuiio nomen, uix ore latino sonandum impositum est, quod referre pudet.»

Laudat hunc amnem Claudianus illo carmine inter laudes Serenae:

«Floribus et roseis formosus Turia ripis.»

[67] Turiam quidam dictum existimauere, quod petentibus olim Phoenicibus, Gades cum ab Ebuso soluissent, tempestate repulsi huius fluminis hostia deuenerunt, ubi uaccarum multitudinem inuenientes, flumen *Turia* id est *uaccis cultum* appellauere, quas ipsi *Tur* patrio sermone appellant. Alii *Thuriam*, significatione Graeca, quasi celerem dici putant.

[68] *Tarnum*. Tarnum fluuius est in Leletania, aureos trahens grumulos. Vulgus *Tarderiam* uocitat. Exoritur monte, quem *Vrinium* quidam, alii *Senium* appellant, qui omnium metallorum genere scatet. Marmoribus quoque fecundus est. Leguntur aureae harenulae inter fluminis lapillos non longius a loco, unde amnis oritur, toto anni tempore, praesertim si uis aquarum repente immineat. Tunc enim imbribus eliquata terra e monte, quem diximus, cum auro labitur et in amnem defluit. Inde demissis tabulis ab accolarum alacri turba preciosissimum naturae munus excipitur. Scimus lectum fuisse nouissime grumum ponderis unius librae et confectum inde torquem. Fluuius ipse Celidonium irrigans agrum non longe a Blandis oppido nostrum subintrat pelagus.

[69] *Vacua*. Vacua inter Carpetanos fluit, quos *iuniores Castellanos* appellant, et lintribus uel monoxilis, non onerariis nauibus, ut refert Strabo, enauigatur.

[70] *Vacus*. Vacus per Lusitanos fluit.

[71] *Via*. Via per Gallaecos.

[72] *Vir*. Vir per eosdem.

[73] *Velo*. Velo per Celticos.

[74] *Vduba*. Vduba tenuis est fluuiolus in regione Ilercaonum, Sagunto aerumnis et seruata fide uenerandae urbi propinquus. Hanc urbem nostra aetate, cum antiquissima sit et a sociis Herculis condita, *Veteres muros* appellant. Syllius:

«Haud procul Herculei tollunt se littore muri
Clementer crescente iugo, quis nobile nomen
Conditus excelso sacrauit colle Zazynthos.»

De montibus et promontoriis

[75] *Anarium*. Anarium promontorium est non longe ab Anae fluvii hostio.

[76] *Barbarium*. Barbarium promontorium est Lusitaniae, haud procul ab Vlixbona insigni et quaestuosa urbe.

[77] *Calpe*. Calpe mons est totus in mare prominens, latitudine exilis, altissimus celsitudine, Abilae, qui est in Aphrica, oppositus, quem alteram columnam Herculis esse fabulosa uetustas tradidit, eumque quondam perpetuo iugo Abilae iunctum, ab Hercule, cum in Hispaniam uenisset, separatum et inde oceanum mole montis ante retentum, in medias exundasse terras angustoque freto Europam ab Aphrica separasse. Lucanus:

«Hesperium Calpen summumque repleuit Athlanta.»

Syllius:

«... Ac laudibus olim
terminus Herculeis Calpe.»

[78] *Canatus*. Canatus Citerioris Hispaniae mons est, e Pyrenaeis sublimior, uergit in Galliam Narbonensem, uersus Ruscinonensem agrum, in cuius uertice, non improbata fama, lacus esse fertur immensae profunditatis, qui repentinis imbribus oceani more aestuare et quasi efferuere uidetur, ac grandine et tonitribus concuti. Interius umbrarum et daemonum esse sedes ferunt lugentiumque clamores et planctus audiri horribiles, et ea loca ad infernas usque regiones penetrare affirmant, sataque et arbores eius aquae malignitate contactas aduri atque arescere.

[79] *Caridemum*. Caridemum, ut Ptholomaeus tradit, promontorium est in capite Baethycae uersus nouam Carthaginem haud procul a portu magno.

[80] *Celticum*. Celticum promontorium est Gallaeciae in oceanum procurrens.

[81] *Cuneus*. Cuneus promontorium est Sacro propinquum.

[82] *Edulius*. Edulius mons est in Tarraconensi.

[83] *Erminius*. Erminius mons est Lusitaniae.

[84] *Ferraria*. Ferraria promontorium est in agro Dianiensi. Distat ab Ebuso insula LXXX mille passus.

[85] *Grini*. Grini mons est mari continguus in Citeriori, apud Emporitano et hostia Ticeris.

[86] *Idubedae*. Idubedae montes sunt continui in Tarraconensi, in Cantabria incipiunt et usque ad nostrum mare excurrunt.

[87] *Ilipa*. Ilipa mons est in Baethyca.

[88] *Iouis*. Iouis mons est undique absolutus, olim portum, nunc speculam Barcinoni praebens. Recrescentibus lapicidinis egregius est et uario fructuum fontiumque genere ornatus. Inter quem et Tarraconem montes sunt ad littus rupicosi et per decliua cautium in forma graduum distincti, quos uulgus olim *scalas Hannibalis* appellauit.

[89] *Larso*. Larso promontorium est Pyrenaei apud Vascones in oceano Cantabrico.

[90] *Lunae*. Lunae promontorium est non longe ab hostio Mundae fluvii situm.

[91] *Lunarium*. Lunarium promontorium est in Leletanis uersus Indicetarum oram.

[92] *Masceria*. Masceria montis Hispaniae regionem non legi.

[93] *Magnum promontorium*. Magnum promontorium est Lusitaniae inter Hannibalis portum et Vlyxbonam situm, quod et *Vlyxbonense* et *Artabrum* appellatur. In hoc, Fauonio flante, equas sine masculis concipere ob earum multitudinem poetae, auctore Pompeio, fabulati sunt. Quod

ostenditur a Syllio his uersibus:

«Hic adeo, cum uer placidum flatusque tepescit,
concupitus seruans tacitos grex praestat equarum,
et Venerem occultam genitali concipit aura.
Sed non multa dies generi properatque senectus
septimaque his stabulis longissima ducitur
aetas.»

Quidam autem affirmant huius geniturae equos triennio tantum uiuere per raro quadrimos uideri. Porro si uento generantur, uelocissimos esse non est mirum, nihil enim uento uelocius inueniri potest. Vnde Homerus XX Iliados ait Erictonium habuisse tria milia equorum, cum quibus Boreas suscepta equi specie coiuit, quo uelociore essent.

[94] *Nerium*. Nerium promontorium est Vardulorum in Cantabris.

[95] *Orubium*. Orubium promontorium est Gallaicorum, situm inter Minium et Tamaram fluuium.

[96] *Orospedae*. Orospedae, siue Oretani, montes sunt continui a columnis incipientes, qui et usque ad Carthaginensem agrum porriguntur.

[97] *Pyrenaei*. Pyrenaei perpetui montes sunt Hispanias a Galliis diuidentes dicti, ut plures tradunt, quod fulminibus crebrius feriantur. Vel a Pyrene Bebrycia uirgine ab Hercule ibi stupro cognita. Quod uidetur sequutus Syllius III Punicorum his uersibus:

«Pyrene celsa nimbose uerticis arce
diuisos Celtis late spectabat Iberos.
Atque aeterna tenet magnis diuortia terris
nomen Bebrycia duxere a uirgine colles.
Hospitis Alcidae crimen, qui sorte laborum
Geryonis peteret cum longa tricorporis arua
possessus Baccho saeua Bebrycis in aula,
lugendam formae sine uirginitate reliquit
Pyrenen.»

[98] Seu, ut Diodoro placet, nam ea fabulosa Plynius existimat, dicti sunt, quod olim a pastoribus imposito igne conflagrarunt, quo incendio uaria metallorum genera erupisse tradit. Aut quod puto uerius, appellati sunt, quia in modum pyrarum eorum cacumina emineant. [99] Horum radices incipiunt finibus Narbonensis Galliae, regione Sardonum, promontorio quod *Pyriam* uocant. Patet frons eius uersus pelagus nostrum in latitudinem circiter X milia passuum ubi Cautiliberum oppidum, Iliberitanorum olim, et Ruscinonensium, nunc Perpinianensium emporium. Est et in fronte Veneris portus et Ceruaria promontorium, Galliae finis, unde et Pompei trophaea cernuntur. Dein et promontorium aliud ostenditur nautis celebratum, quod *Cnidianum* appellant. Hic ab Hispania in Galliam nauigantibus initium est Narbonensis procellosi atque importuosi sinus, quippe qui Austro et Africo totus expositus est. Quatitur etiam saeua hyeme Circio et Aquilone. Inde digressus Pyrenaeus sese in sublime fastigat, in excelsum iugum exurgens, quod, cum niuosum sit, *Alberam* uocant.

[100] A Cerretanis Herculis quondam comitibus, et Vasconibus suprema eius inhabitantur. Ipse Emporitanos, Ausetanos, Ilergetas, Surdaones, Iaccitanos, Cantabrosque relinquens, tandem Larsonem uersus oceano se iungit. In his montibus percandidi Pauones gignuntur non ingentes, boues elephantibus maiores, ut Graecorum quidam tradidere. Pernas suum, qui in his conuallibus nascuntur, acceptas fuisse Romae tradidit Strabo.

[101] *Sacrum promontorium*. Sacrum promontorium e media occidua Hispaniae fronte in oceanum extenditur.

[102] *Satumus*. Saturni promontorium, in quo Arae Sestianae uersus maritima Asturum est.

[103] *Solorius*. Solorius mons est excelsus uersus Oretanos, non in Arogotis, ut recentior quispiam

tradit.

[104] *Serresus*. Serresus, quem et *Seratum* et *Clausum* uocant, mons est finibus Leletanorum in Lacetanis olim prophanis deorum cultibus dicatus, de quo quaedam haud indecenter enarrare lubet. Mons ipse non modo in Hispaniis, sed ubiuis prouinciarum Latini Christianique nominis fama pernotissimus est, situs et religio efficit. [105] Distat a Barcinone circiter XXX milia passuum tantumdem mari remotus. Lambitur a Septentrione Rubricato amne, ubi Palladium oppidum Olesia. Patet circuitu XII milia passuum in insulam sedens et nulli contiguus, ut Soracte in Italia. Altitudo eius ardua et quam eminentes cliui cautesque exasperant. Nemorosis interius ornis et fraxinis et huiuscemodi arboribus insignitus est salientibusque fontibus irriguus. Medicalium quoque herbarum feracior. Aspectus eius amplissimus, ut Pyrenaeis, et occidente sole Balearibus terminetur et cum cernentibus se eminus inaccessibilem ostendat, benignum tamen aditum circuitus tribuit. [106] Exterius autem praeruptis exesisque saxis ita undique in graduum et serrae similitudinem et ex ordine compositus est, ut prudenti opere naturam ipsam aut mundi huius opificem montem ipsum, nescio quid sacri numinis ostentantem, suo celeberrimo cultui extruxisse credamus. Religionis eius auxere initia, quod Supremae Virgini sit sacer ob uetustissimum ipsius simulacrum abditissima spelunca diuinitus adinuentum. De quo si pro materia diceretur, grande esset profecto opus et ideo relinquendum. Ultra montis medium ara Virgini extracta est augustissimum templum. Via quoque ascendentibus non exigua laborioso accolarum cultu regiisque sumptibus coacta est, desperatum prima opus mox absolutum.

[107] Cacumina praeterea montis religiosi habitantur uiris, quos *Heremitas* appellant, ligneisque gradibus et exemptilibus scalis ad pendentia saxa admotis, non sine uastae sublimitatis terrore ac casus etiam periculo adeuntur. Ascendentibus ne decidant, remedium est curiosius scandere et ne ima despiciant. Heremicolae ipsi caelibes ac spretis libentius male caris opibus caelestia uenerantur.

[108] Templum, quod diximus, cera argentoque atque auro conflatis per orbem donariis onustum est, cuius ueterrimi tholi fastigio mirandae uirgineae opis miseris aegrisque mortalibus praestitae testes appendent: statuae et depictae imagines, catherinae, loricae, clypei et rostra carinis erepta, atque alia liberationis ac uictoriae monumenta, quodque omnium maximum est, reuiuiscientium hominum funebria uestimenta, superatae naturae mirificentissimum spectaculum. Soluuntur uota sexto Idus Septembris numerosa populorum usque ad interemptionem pressura. Sed iam alios quaeramus montes.

[109] *Scombraria*. Scombraria promontoria a Scombris piscibus dicta sita sunt inter Dianium urbem et Carthaginem nouam.

[110] *Temarianus*. Temarianus Baethycae mons est.

[111] *Tenebrum*. Tenebrum promontorium est in agro Dertosano.

[112] *Trileucum*. Trileucum, quod etiam Lepaciacorum dicitur, in Gallaecis est non procul a fluuio Brigantia.

[113] *Vrinium*. Vrinium montem esse Hispaniae, non designata regione, complures tradunt.

[114] *Vadauero*. Vadauonem quidam non temere Celtiberiae montem esse existimant ab aliis effractum atque in insulam positum, quem nunc *Vadauicorem* corrupto in uulgus uocabulo appellari uolunt. Olim manibus sacer fuit, qui etiam a Marciale carmine celebratus est, ubi Vobercae syluae meminit, Montordi oppidi et Somonae uici et Congedi Balnearum, quae omnia in agro Bilbilitano sunt, ubi et Ferrariae. Distat mons a Tarracone dierum quinque itinere. Quod a poeta notatum est, ubi ait:

«Quinta forsitan esseda uidebis.»

Mons ipse sterilis est et niuosus, ubi etiam hodie intempesta nocte umbrae apparere dicuntur.

[115] Ex lectione auctorum

Herodoti, Diodori Siculi, Polybii, Salustii, Pomponii Melae, Caii Caesaris, Strabonis, Titi Liuii,

Pompeii Trogi, Iosephi, Plutarchi, Plynii, Solini, Claudii Ptholomaei, Vibii, Pauli Orosii, Prisciani grammatici, Isidori Carthaginensis, Geruasii Arelatensis et Buccatii, Virgilii, Lucani, Dionysii Alexandrini et aliorum poetarum, item ex his, quae uidimus.